



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XXXIV. De perfectione prolis conceptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

cessiue condensatus est, vt formaretur os ex illo, immediate antequam absolueretur condensatio requisita in ea parte corporis humani, iam non poterat in illa materia conseruari forma sanguinis, præsertim, quia cum tali condensatione necessariò coniuncta est alteratio nimia, v.g. siccitatis, & frigiditatis, ergo necessarium fuit prius expelli formam sanguinis, sic enim in naturali nutritione propter hanc causam non transit sanguis immediate in os, sed prius transmutatur in medullâ, vt sic paulatim magis, ac magis accedat ad dispositionem ossis. Et idem argumentum fieri potest de toto illo corpore, quod successiue formabatur ad introductionem animæ: Nam immediatè ante animationem necessè est, vt habuerit eam dispositionem, quam habere solent alia corpora humana in eodem statu. Quia solum indiuisibilis terminus deesse poterat in eo instanti. Nam si deesset aliquid diuisibile in condensatione, & figuratione, eadem difficultas rediret: at verò corpus sic dispositum est aptum ad formam sanguinis, vt in alijs hominibus constat. Quod si dicas miraculosè factum esse, vt vel illa partium condensatio sine alteratione proportionata fieret, vel vt forma sanguinis permaneret in materia, in qua naturaliter esse non posset, magis consentaneu rationi erit aliud miraculū excogitare, quo tota illa conceptio subito, & sine vlla successione facta sit. Denique obstant huic modo dicendi testimonia sanctorum Patrum supra citata, quæ omnem prorsus successione excludunt. Sed inter omnia apertissima sunt verba Damasc. lib. 3. c. 2. dicens *Dei filium per Spiritum Sanctum pro creationis modo sibi ipsi corpus condidisse, non ita vt paulatim, & citissimè incrementū figura corporis absolueretur: sed vno, eodemque momento perficeretur.* At iuxta prædictam responsionem figura non est tota vno momento perfecta, sed in tempore, quamuis breui delineata. Obstat etiam D. Thom. qui in illo artic. 1. & in art. 2. ad 3. docet, statim ac sanguis Virginis congregatus fuit in vtero eius, in vno instanti terminatio illius motus localis fuisse Christi corpus formatum. Obstat denique communis sententia Theologorum in 3. d. 3. dicentium, formationem corporis Christi in instanti fuisse perfectam absque successione, & hoc dicunt fuisse maximum miraculum huius conceptionis, quod in solo instanti fuerit perfecta. Si autem successio, quamuis exigua interuenisset, nullum fere fuisset miraculum quod in instanti fuerit terminata conceptio: sed solum, quod velociori mutatione, & breuiori tempore esset perfecta. Ita Bona. ibi qu. vltima totius diffinit. Gab. d. 4. q. vnica art. 2. con. 2. qui etiam de antecedenti motu concedit factum fuisse in instanti, Palud. d. 3. q. 3. Alexan. Alenf. 3. p. q. 8. membr. 2. & q. 9. m. 4. & 4. p. q. 3. 4. m. 3. aliàs q. 10. memb. 4. art. 2. §. 6. Richar. d. 3. a. 2. q. 2.

Damasc.

D. Thom.

Vera responsio.

Chrysost.

Quo circa dicendum cenfeo, totam hanc conceptionem factam esse in instanti, & consequenter diuina virtute factum esse, vt tota illa materia, vel secundum se totam, vel secundum partes occuparet locum alium, quem immediatè ante habebat, eo modo, quo supra explicauimus hoc esse possibile. Cum enim hoc non repugnet, & auctoritati Sanctorum, & rationi, ac dignitati mysterij consentaneum sit, non est cur id asserere formidemus, aut magnitudine miraculi terreamur. Præsertim cum Chrysost. hom. 13. in Genesi indicet, formationem corporis Adæ hoc modo momentaneo fuisse factam, dicens. *Puluerem terræ suo præcepto in corporis naturam verit. Nam sicut substantiam terræ, cum non esset, produxit; ita & nunc cum veller, puluerem terræ in corpus verit.* Iuxta hunc verò dicendi modum consequenter asserendum est B. Virginem non habuisse efficientiam, quasi connaturalem (& vt ita dicam) seminalem circa hanc corporis formationem, quatenus hanc momentaneam loci mutationem in-

cludit, vt ex dictis in præcedenti sectione constat. Neque hoc est contra veritatem conceptionis humanæ Christi, quæ ex parte principij efficientis omnino fuit miraculosa, & ex parte matris satis est, vt in administratione materiæ, & aliqua alteratione, seu dispositione fuerit naturalis. Dices, nullo modo potuisse concurrere actiue Beatam Virginem in eo instanti virtute naturali, cum tota actio fuerit miraculosa. Respondetur, licet fuerit miraculosa quoad modum, tamen quoad substantiam, & terminum fuit naturalis, & ideo potuit aliquo modo concurrere Beata Virgo ad aliquam alterationem, vt fouendo calore suo materiam illam, & calefaciendo, vel quid simile, quod satis est.

Obiectis.

Responsio.

Dubium.

Quod si quæras, si tantum miraculum necessarium fuit in momentanea formatione corporis, sicut in momentanea congregatione sanguinis, cur D. Tho. vnus potius negauit quam aliud? Respondetur, merito id fecisse, quia, vt tota conceptio terminaretur ad Deum, fuit hoc miraculum in ipsa formatione necessarium, & aliunde non obstabat, quominus B. Virgo posset in eo instanti præstare, quod ex parte matris necessarium est: at verò in vtroque horum contrarium accidit in sanguinis congregatione, vt in principio huius sectionis explicatum reliquimus.

QVÆSTIO XXXIII.

De perfectione proles conceptæ, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de perfectione proles conceptæ.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, vt in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam. Secundo, vt in eodem instanti habuerit vsum liberi arbitrij. Tercio, vt in eodem instanti potuerit mereri. Quarto, vt in eodem instanti fuerit plenè comprehensor.

Doctrina huius questionis fusè tractata est in primo tomo huius materiæ. Nam in q. 7. vbi D. Tho. agit de gratia Christi, omnia diximus, quæ ad 1. artic. huius questionis spectant, in q. autem 9. agendo de scientia Christi in communi, explicauimus, quando & quomodo ratione, & libero arbitrio vt inceptum: in q. verò 10. de scientia beata, quando primam illam susceperit, diximus, quod D. Tho. hic artic. 4. tetigit. Denique de merito eius, de quo D. Tho. differit artic. 3. in q. 19. latissimè dictum est. Omisita igitur inutili, & permolesta earundem rerum repetitione, solum ea, quæ ad intelligendum D. Tho. necessaria fuerint annotabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus in primo instanti sue conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.



D primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit sanctificatus in primo instanti sue conceptionis. Dicitur enim 1. ad Cor. 15. Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Sed sanctifi-

catio gratia pertinet ad spiritualitatem. Non ergo statim à principio sue conceptionis Christus percepit gratiam sanctificationis, sed post aliquod spatium temporis.

2. Præterea, sanctificatio videtur esse à peccato, secundum illud 1. ad Cor. 15. 6. Et hoc quidem fuisse aliquando, scilicet peccatores, sed abluti estis, sed sanctificati estis: sed in Christo nunquam fuit peccatum: ergo non conuenit sibi sanctificari per gratiam.

3. Præ-

3. Præterea. Sicut per Verbum Dei omnia facta sunt, ita per Verbum incarnatum sunt omnes homines sanctificati, qui sanctificantur, Hebr. 2. Qui sanctificati, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Sed verbum Dei, per quod facta sunt omnia, non est factum, vt Auguſt. dicit in 1. de Trin. ergo Christus, per quem sanctificantur omnes, non est sanctificatus.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 1. Quod ex te natus est sanctum, vocabitur filius Dei. Et Ioan. 10. Quem pater sanctificauit, & misit in mundum.

Respondet dicendum, quod (sicut supra dictum est) abundantia gratie sanctificantis animam Christi, derivatur ex ipsa Verbi vnione, secundum illud Ioannis. 1. Vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti a Patre, plenum gratie, & veritatis. O. B. sensum est autem supra, quod in primo instanti sue conceptionis corpus Christi animatum fuit, & a Verbo Dei assumptum, vnde consequens est, quod in primo instanti sue conceptionis Christus habuerit plenitudinem gratie sanctificantis animam, & corpus eius.

Ad primum ergo dicendum, quod ille ordo, quem ponit ibi Apostolus, pertinet ad eos, qui per profectum ad spirituales statum perueniunt. In mysterio autem incarnationis magis consideratur descensus diuinae plenitudinis in naturam humanam, quam profectus humane nature, quasi præexistens in Deum: & ideo in homine Christo a principio fuit perfecta spiritualitas.

Ad secundum dicendum, quod sanctificari est aliquid fieri sanctum. Fit autem aliquid non solum ex contrario, sed etiam ex negatiue, vel priuatiue opposito, sicut album fit ex nigro, & etiam ex non albo. Nos autem ex peccatoribus sanctificamur, & ita sanctificatio nostra est ex peccato. Sed Christus quidem se undum hominem factus est sanctus, quia hac gratia sanctitatem non semper habuit: non tamen factus est sanctus ex peccatore: quia peccatum nunquam habuit, sed factus est sanctus ex non sancto secundum hominem, non quidem priuatiue, vt scilicet aliquando fuerit homo, & non fuerit sanctus: sed negatiue, quia scilicet quando non fuit homo, non habuit sanctitatem humanam: & ideo simul factus fuit homo, & sanctus homo. Propter quod Angelus dicit Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum. Quod exponens Gregor. 18. Moral. dicit. Ad distinctionem nostram sanctitatis Iesus sanctus nasciturus asseritur: nos quippe si sancti efficiamur, non tamen nascimur: quia ipsa natura corruptibilis conditione constringimur: ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ex coniunctione carnalis copule conceptus non est.

Ad tertium dicendum, quod aliter operatur Pater creationem rerum per Filium, aliter tota Trinitas sanctificationem hominum per hominem Christum. Nam verbum Dei est eiusdem virtutis, & operationis cum Deo Patre: vnde Pater non operatur per Filium sicut per instrumentum, quod mouet motum. Humanitas autem Christi est sicut instrumentum diuinitatis: vt supra dictum est, & ideo humanitas Christi est sanctificans, & sanctificata.

COMMENTARIUS.

Non explicat satis D. Thomas, an solum loquatur de sanctificatione per gratiam habitualement, indicat tamen in articulo de ea facere se sermonem, quatenus dicit hanc gratiam ab vnione Verbi derivari. Aliunde vero obstat videtur, quod solutione ad secundum significat, Christum absque hac gratia non intelligi sanctum, & per eam factum esse sanctum ex non sancto, quæ non possent esse vera, si de habituali gratia sermo esset: ostendimus enim in superioribus per gratiam vnionis: quæ prior est, sanctificari. Quapropter intelligi posset hic articulus absolute de gratia sanctificantis, non limitando doctrinam ad hanc, vel illam gratiam: sed verique, seruata proportionem, eam accommodando. Vnde, si de

A sanctificatione per gratiam vnionis interpretemur, quamuis secundum rem idem sit Verbum, cui humanitas vnitur, & per quod sanctificatur: tamen secundum rationem distinguuntur, quia aliud est assumi ad subsistendum, aliud sanctificari per ipsum Verbum, ad quod fit assumptio. Et hoc sensu dici potest hæc sanctificatio derivari ab vnione, sicut vnum attributum diuinum dicitur ratio alterius. Et cum hac expositione optimè quadrat, quod D. Thomas ad 2. dicit. Christum factum esse sanctum ex non sancto homine, quatenus factus est homo ex non homine. Quo dicendi modo indicat, Christum non solum non fuisse prius tempore hominē, quā sanctum: verum etiam nec prius natura, quia per ipsam vnionem sanctificatus est, loquimur autem de Christo homine, qui propriè sanctificari dicitur. Nam, si loquamur de humanitate, illa reuera prius natura exiit, quā sanctificaretur, sicut prius natura exiit, quā assumeretur. Et hoc modo terminus a quo illius sanctificationis fuit negatio substantialis sanctitatis in hac humanitate, non quæ duratione præcederet, sed quæ existeret, si statim in eodem instanti non assumeretur illa humanitas, vt hic Deus homo constitueretur. At verò intelligendo hunc articulum de gratia habituali (vt fortasse D. Thom. intellexit, quia hæc reuera est, quæ propriè dicitur ab vnione derivari) solutio ad secundum sano modo exponenda est. Quia licet temporis duratione, simul Christus fuerit homo, & sanctus sanctitate accidentali: tamen prius natura fuit factus homo, & sanctus per gratiam vnionis. Quapropter non intelligitur sanctificatus per gratiam habitualement ex non sancto simpliciter: sed ex non sancto tali modo, id est, sanctitate accidentaria, seu (vt D. Thomas loquutus est) sanctitate humana: illa enim sanctificatio, quæ est per gratiam vnionis, multo magis est diuina. Cætera perspicua sunt in litera. Quæ Caietanus autem notat, superius suo loco tractata sunt: nec oportebat hoc loco iterum contra Scotum inueniri, dum de comparisonem inter gratiam vnionis, & habitualement, seu visionem beatam, satis superque supra dictum sit.

ARTICVLVS II.

D. Verum Christus in primo instanti sue conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus secundum hominem non habuerit vsum liberi arbitrij in primo instanti sue conceptionis. Prius enim esse ei, quæ agere vel operari vsum autem liberi arbitrij est quædam operatio. Cum ergo anima Christi esse inciperet in primo instanti sue conceptionis (vt ex predictis patet) videtur esse impossibile, quod in primo instanti conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij.

2. Præterea. Vsum liberi arbitrij est electio: Electio autem præsupponit deliberationem consilij: dicit enim Philosophus in 3. Ethicor. quod electio est appetitus præconscriptus. Ergo videtur impossibile, quod in primo instanti sue conceptionis Christus habuerit vsum liberi arbitrij.

3. Præterea. Liberi arbitrij est facultas voluntatis, & rationis, vt in prima parte habitum est, & ita vsum liberi arbitrij est actus voluntatis, & rationis, siue intellectus: sed actus intellectus præsupponit actum sensus, qui esse non potest sine conuentione organorum, quæ non videtur fuisse in primo instanti conceptionis Christi. Ergo videtur, quod Christus non potuit habere vsum liberi arbitrij in primo instanti sue conceptionis.

Sed contra est, quod Auguſt. dicit in libr. de Trin. Mor. vt Verbum venit in vtrum, seruata veritate propria

De gratiam habitualement & vnionis quomodo Christus sanctificatus

185. Veri. q. 29. art. 8. 2.

Ar. præ. 6. loco ibi cit.

1. 3. Eth. c. 3. art. 1. 5.

1. p. q. 83.

Id habet Gre 1. 9. in registr. c. 6. a medio Et Auguſt.

13. de Trin.
c. 9. 10. 17.
19. som. 3.

natura. factum est caro, & perfectus homo. Sed perfectus homo habet usum liberi arbitrij: Ergo Christus habuit in primo instanti sue conceptionis usum liberi arbitrij.

q. 7. art. 12. &
q. 19. art. 3. &
q. 33. art. 3.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) humana natura, quam Christus assumpsit, conuenit spiritualis perfectio, in qua non profecit, sed eam statim à principio habuit. Perfectio autem vltima non consistit in potentia, vel in habitu, sed in operatione: vnde in 2. de Anima dicitur, quod operatio est actus secundus. Et ideo dicendum est, quod Christus in primo instanti sue conceptionis habuit illam operationem animæ, quæ potest in instanti haberi. Talis autem est operatio voluntatis, & intellectus, in qua consistit usus liberi arbitrij. Subito enim, & in instanti perficitur operatio intellectus, & voluntatis, magis quam visio corporalis, eo quod intelligere, velle, & sentire, non est motus, qui sit actus imperfectus.

1. 2. de anima
tex. 28. 10. 2.

Et (quod successiue perficitur) sed est actus iam perfectus: ut dicitur in 3. de anima. Et ideo dicendum est quod Christus in primo instanti sue conceptionis habuit usum liberi arbitrij.

Ad primum ergo dicendum, quod esse est prius natura quam agere: non tamen est prius tempore, sed simul cum agens habet esse perfectum, incipit agere, nisi sit aliquid impediens: sicut ignis simul dum generatur, incipit calefacere & illuminare. Sed calefactio non terminatur in instanti sed per temporis successionem, illuminatio autem perficitur in instanti. Et talis operatio est usus liberi arbitrij, ut dictum est.

Incorp. art.

Ad secundum dicendum, quod simul cum terminatur consilium, vel deliberatio, potest esse electio. Illi autem qui deliberatione consilij indigent, in ipsa terminatione consilij primo habent certitudinem de eligendo, & ideo non statim eligunt. Ex quo patet, quod deliberatio consilij non præexigitur ad electionem, nisi propter inquisitionem incerti. Christus autem in primo instanti sue conceptionis, sicut habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis, ita habuit plenitudinem veritatis cognitiue: secundum illud, Plenum gratiæ, & veritatis. Vnde quasi habens omnium certitudinem, potuit statim in instanti eligere.

q. 11. art. 1.

Ad tertium dicendum, quod intellectus Christi secundum scientiam infusam poterat intelligere, etiam non conuertendo se ad phantasmata: ut supra habitum est. Vnde poterat in eo esse operatio voluntatis, & intellectus absque operatione sensus. Sed tamen potuit in eo esse etiam operatio sensus, in primo instanti sue conceptionis, maxime quantum ad sensum tactus, quo sensu proles concepta sentit in matre, etiam antequam animam rationalem obtineat, ut dicitur in libro de Generatione animalium. Vnde cum Christus in primo instanti sue conceptionis habuerit animam rationalem, formatam, & organizato corpore eius, multo magis in eodem instanti poterat habere operationem sensus tactus.

1. 2. c. 4. & 3.
1. som. 4.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo solum est notanda solutio ad 3. in qua D. Thom. dicit potuisse Christum in primo instanti conceptionis sue sensibili phantasmate uti media tactus operatione, non propter speciale aliquod miraculum: sed quia proles concepta naturaliter sentit in vtero matris, prius etiam tempore, quam anima rationali informetur. Vnde fit multo magis posse sentire in illo instanti, quo informatur anima rationali, cum ergo Christus in primo instanti sue conceptionis habuerit corpus perfectum, & anima rationali informatum, naturaliter sentire potuit sensu tactus. Hoc tamen alicui videri poterit difficile: tum quia immutatio huius sensus non fit sine physica, & reali alteratione: quæ non fit in instanti: tum etiam quia sensus tactus non percipit qualitates sibi congenitas, & proportionatas, nisi secundum aliquem excessum, vel intentionem: quæ in eo instanti esse non potuit. Respondetur D. Tho-

Obiectio

Responsio.

am aperte hoc loco sentire sensum tactus posse immutari pure intentionaliter in instanti, ad sentiens dum non qualitates suo organo inhærentes, sed in corpore circumstante, quæ sunt veluti obiectum illius sensationis, & iuxta hanc doctrinam non habet locum difficultates posita, quam rem diligentius & ex professo expendimus in libro de anima. Addendum etiam est in hac solutione, sicut in intellectu habuit Christus in primo instanti species, tum per se, tum per accidens infusus, ita potuisse habere in sensu phantasmata diuinitus infusa, quibus cooperari potuit intellectui per scientiam per accidens infusam operanti. De qua re diximus in q. 12. Quæ verò hic Caieta. inculcat in q. 9. & 11. diligenter inquisita sunt.

B

ARTICVLVS III.

Virum Christus in primo instanti sue conceptionis mereri potuerit.



Disertum sic proceditur. Videtur, quod Christus in primo instanti sue conceptionis mereri non potuerit. Sicut enim se habet liberum arbitrium ad merendum, ita ad demerendum. Sed diabolus in primo instanti sue creationis non potuit peccare, ut in prima parte habitum est: ergo neq. anima Christi in primo instanti sue creationis (quod fuit primū instanti conceptionis Christi) potuit mereri.

C

2. Præterea, illud quod homo habet in primo instanti sue conceptionis, videtur ei esse naturale: quia hoc est ad quod terminatur sua generatio naturalis. Sed naturalibus non meremur, ut patet ex his, quæ dicta sunt in secunda parte. Ergo videtur, quod usus liberi arbitrij, quem Christus habuit secundum hominem in primo instanti sue conceptionis, non fuerit meritorius.

3. Præterea, id, quod semel aliquis meruit, iam fecit quodammodo suum: & ita non videtur quod iterum possit illud idem mereri, quia nullus meretur quod suum est. Si ergo Christus in primo instanti sue conceptionis meruit, sequitur quod postea nihil meruerit, quod patet esse falsum. Non ergo Christus in primo instanti sue conceptionis meruit.

D

Sed contra est, quod August. dicit super Exod. Non habuit omnino Christus iuxta animæ meritum, quo potuisset proficere. Potuisset autem proficere in merito, si in primo instanti sue conceptionis non meruisset, ergo in primo instanti sue conceptionis meruit Christus. Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) Christus in primo instanti sue conceptionis sanctificatus fuit per gratiam. Est autem duplex sanctificatio: vna quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur: alia autem puerorum, qui non sanctificantur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum vel Ecclesiæ. Prima autem sanctificatio est perfectior quam secunda: sicut actus est perfectior quam habitus, & quod est per se eo, quod est per aliud. Cum ergo sanctificatio Christi fuerit perfectissima (quia sic sanctificatus, ut esset aliorum sanctificator) consequens est, quod ipse secundum proprium motum liberi arbitrij in Deum fuerit sanctificatus, qui quidem motus liberi arbitrij est meritorius. Vnde consequens est, quod in primo instanti sue conceptionis Christus meruerit.

Ad primum ergo dicendum, quod liberum arbitrium non eodem modo se habet ad bonum, & ad malum. Nam ad bonum se habet per se, & naturaliter, ad malum autem se habet per modum defectus, & præter naturam. Sicut autem Philosophus dicit in secundo de Cælo, Posterius est, quod est præter naturam, eo, quod est secundum naturam: quia id, quod est præter naturam, est quadam excisio ab eo, quod est secundum naturam. Et ideo liberum arbitrium

crea-

creaturæ in primo instanti creationis potest moueri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod homo habet in principio sue creationis secundum communem naturam cursum, est homini naturale: nihil tamen prohibet, quod aliqua creatura in principio sue creationis aliquod beneficium gratia a Deo consequatur. Et hoc modo anima Christi in principio sue creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri: & ea ratione gratia illa, secundum quam similitudinem dicitur fuisse illi homini naturalis: ut patet per Augustinum in Enchirid.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet idem esse alicuius ex diuine sue causis. Et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti sue conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus, & passionibus mereri, non ut esset sibi magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur.

COMMENTARIUS.

Questionem huius articuli sub eisdem terminis tractauimus supra citato loco: discursum autem D. Thomæ specialiter exposui tractando, an Christus meruerit gloriam animæ suæ. Vnde circa hunc textum animaduertendum tantummodo occurrit verbum D. Tho. notatione dignum in sol. ad 1. Cum enim docuisset (quod in eius schola frequens est, & satis verisimile) liberum arbitrium creaturæ, licet in primo instanti sue creationis possit liberè operari bene merendo: non tamen peccando: cum hoc, inquam, docuisset, addidit limitationem dicens, si tamen natura sit integra. Quod verbum nec Caietan. nec alij interpretes ponderarunt, & quamuis multum de illo cogitauerim, nihil inueni, quod sensum acmentem D. Tho. attingere videretur. Primum ergo, si natura integra contra lapsam (ut solet) distinguatur, non habet locum illa limitatio in Angelica natura, illa enim non potest non esse integra in primo instanti sue creationis; quia nec est capax originalis peccati (ut per se constat) neque actualis pro illo instanti, secundum D. Tho. Nec etiam accommodari potest ad humanam naturam, primum quia etiam homo lapsus non potest in primo instanti sue creationis peccare, cum naturaliter tunc non possit ratione uti. Quod si diuinitus illuminetur, non poterit etiam in eo instanti, quo à Deo illuminatur, peccare tum quia illuminatio illa esset à Deo, & non esset libera, vnde non posset esse talis, quæ ad peccandum induceret, tum etiam, quia non minus tale peccatum tribueretur auctori naturæ, quam peccatum commissum ab Angelo in primo instanti. Quid enim refert, quod natura sit lapsa, si in primo instanti operatur quasi naturaliter ducta, & gubernata ab auctore naturæ. Et hæc ratio in vniuersum probat de homine miraculose creato à Deo cum usu rationis, in quocumque statu creetur, siue in gratia, siue in natura integra, siue in puris naturalibus.

Dici fortasse posset D. Thomam sub primo instanti creationis comprehendisse primum instans, quo homo peruenit ad usum rationis, in quo homo lapsus peccare potest, quia iam à se, & non tantum ab auctore naturæ moueri censetur. Sed esto hoc verum sit (quod non est hoc loco examinandum) non satisfacit, quia eadem ratione dici posset, hominem natum, & educatum in natura integra potuisse peccare in primo instanti, quo peruenit ad usum rationis. Quare dicere quis posset non fuisse D. Thomam usum ea voce, natura integra, in illa vltima significatione, quæ à natura lapsa, vel pura separatur, sed dicere voluisse: liberum arbitrium non posse peccare in primo instanti, si natura sit integra, id est si habeat à suo auctore auxilium, & providen-

tiam sibi pro illo instanti debitam. Sed neque hoc mihi satisfacit. Tum quia est inusitata illa significatio vocis. Tum etiam, quia nunquam D. Thom. poneret sub conditione, quod existimabat nulla ratione posse de esse. Vnde suspicor illam vocem vel casu excidisse, vel fortasse aliunde v.g. ex marginali notatione alicuius, aliorum errore in textum irrepsisse. Cuius indicium esse potest, quod cum pluribus alijs locis idem argumentum cum eadem solutione pertractauerit, simpliciter, & absque vlla limitatione vbiq. responderit, ut videre licet. 1. p. q. 63. a. 5. ad 3. & in 3. d. 18. q. vnica, art. 3. ad 4. & q. 29. de veritate, ar. 8. ad 2.

Vltimo cauenda est notatiuncula Caiet. quod Sacramenta non conferant gratiam eis, qui absque actuali attentione, & deuotione illa suscipiunt. Est enim hæc falsa doctrina, ut suo loco latius dicemus.

ARTICVLVS IV.

Verum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti sue conceptionis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit perfectus comprehensor in primo instanti sue conceptionis. Meritum enim præcedit premium, sicut & culpa penam. Sed Christus in primo instanti sue conceptionis meruit, sicut dictum est. Cum ergo status comprehensor sit principale premium, videtur quod Christus in primo instanti sue conceptionis non fuerit comprehensor.

2. Præterea, Dominus dicit Luc. vltim. Hac oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Sed gloria pertinet ad statum comprehensoris: Ergo Christus non fuit in statu comprehensoris in primo instanti sue conceptionis, quando ad huc nullam sustinuerat passionem.

3. Præterea, illud quod non conuenit nec homini nec Angelo, videtur esse proprium Deo, & ita non conuenit Christo secundum quod homo. Sed semper esse beatum, non conuenit nec homini nec Angelo: si enim fuissent conditi beati, postmodum non peccassent. Ergo Christus secundum quod homo, non fuit beatus in primo instanti sue conceptionis.

Sed contra est, quod dicitur in Psalm. 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti, quod secundum Glossam refertur ad humanam naturam Christi, quæ assumpta est à Verbo Dei in unitatem personæ. Sed in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura à Verbo Dei in unitatem personæ. Ergo in primo instanti sue conceptionis Christus, secundum quod homo, fuit beatus, quod est esse comprehensorem.

Respondeo dicendum, quod (sicut ex dictis patet) non fuit conueniens, ut Christus in sua conceptione acciperet gratiam habituales tantum absque actu: accepit enim gratiam non ad mensuram, ut supra habitum est. Gratia autem viatoris cum sit deficiens à gratia comprehensoris, habet mensuram in norem respectu gratiæ comprehensoris. Vnde manifestum est quod Christus in primo instanti sue conceptionis, accepit non solum tantam gratiam, quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu, consequens est quod actu fuerit comprehensor, videndo Deum per essentiam, clarius ceteris creaturis.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut supra dictum est) Christus non meruit gloriam animæ, secundum quam dicitur comprehensor, sed gloriam corporis ad quam per suam passionem peruenit.

Vnde patet responsio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod Christus ex hoc, quod fuit

D. THOMAS

Creatura rationalis in instanti sue creationis, usu rationis diuinitus accepto peccare non potest.

187. Locus sup. ar. 3 adductus, Art. præ.

Aug. hoc loco legisti & assumpsisti, quod secundum Glossam refertur ad humanam naturam Christi, quæ assumpta est à Verbo Dei in unitatem personæ. Sed in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura à Verbo Dei in unitatem personæ. Ergo in primo instanti sue conceptionis Christus, secundum quod homo, fuit beatus, quod est esse comprehensorem.

Art. præ.

q. 7. art. 3. 10 & 12.

q. 19. art. 3.

Deus & homo, etiam in sua humanitate habuit aliquid præ
ceteris creaturis: ut scilicet statim à principio esset beatus.

De Thomæ litera nulla indiget expositione, solum
notatiuncula Caietan. corrigenda est. Docet et-
iam gratiam viatoris semper esse intensiorem gratia
comprehensoris, de qua re diximus supra, cū de pri-
ma sanctificatione Virginis ageremus, & in materia
de charitate latius disputatur.

QVÆSTIO XXXV.

De natiuitate Christi, in octo articulos
diuisa.

Consequenter post Christi conceptionem a-
gendum est de eius natiuitate. Et primo,
quantum ad ipsam natiuitatem. Secundo,
quantum ad natiuitatis manifestationem.

Circa primum quaruntur octo.

Primo, *utrum natiuitas sit natura vel persona.*

Secundo, *utrum Christo sit attribuenda alia natiuitas
præter æternam.*

Tertio, *utrum secundum natiuitatem temporalem B. Vir-
go sit mater eius.*

Quarto, *utrum debeat dici mater Dei.*

Quinto, *utrum Christus, secundum duas filiationes sit fi-
lius Dei Patris, & Virginis matris.*

Sexto, *de modo natiuitatis.*

Septimo, *de loco.*

Octauo, *de tempore natiuitatis.*

Circa titulum huius quæstionis adnotare oportet,
duplicem posse distingui hominis natiuita-
tem, aliam in vtero, de qua Matth. i. dicitur. Quod in
ea natum est, de Spiritu Sancto est, aliam extra vterum,
de qua ibidem capite 2. dicitur. Cum natus esset Iesus
in Bethleem Iudæ. Inter quas magna differentia inter-
cedere videtur. Quia natiuitas in vtero consistit in
substantiali hominis generatione: at vero natiuitas
extra vterum solum in quodam motu locali vitali
modo effecto, quo mater à se filium separat, & quali-
per se constituit. D. Thomas ergo in hac quæstione
(vtræque Caiet. aduertit) de vtriusque natiuitate dispu-
tat: in quinque prioribus articulis de illa præsertim,
quæ sit extra vterum. Dices, iam Diuum Thomam
egisse de conceptione, quæ nihil aliud esse videtur,
quam natiuitas in vtero. Respondet Caiet. hæc duo
inter se differre, nam conceptio in hoc consistit, quod
mater intra se capit, quod generandum est, natiui-
tas verò est via ad naturam. Quæ differentia magis
vocat etymologiam, quam rerum diuersitatem
explicat: Propria ergo differentia est, quod concep-
tio complectitur totam illam actionem, qua
corpus prolis formatur, & vsque ad instantem genera-
tionis organizatur, ac disponitur: natiuitas verò in
vtero propriè significat substantialem actionem, qua
animus vnitur corpori, vt generetur homo, quæ
duo licet in Christo Domino simul duratione effe-
cta sint: tamen secundum se diuersam rationem ha-
bent, & conceptio natiuitatem antecedit. Ideo D.
Tho. conuenienti ordine, postquam de concep-
tione differuit, de natiuitate dicere aggreditur, & prius
de natiuitate in vtero, quia alteram antecedit. Om-
nia verò disputat sub comuni voce natiuitatis, quia
multa sunt vtriusque natiuitati communia, & ser-
uata vtriusque ratione eis possunt ac-
commodari.

);(

Utrum natiuitas sit natura, vel persona.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod natiui-
tas natura conueniat magis, quam persona. Dicit
enim August. in lib. de fide ad Petrum. Natura a-
terna, aq. diuina non posset concipi, & nasci ex humana na-
tura nisi secundum veritatem humanæ naturæ. Si igitur di-
uina natura conuenit concipi, & nasci ratione humanæ natu-
ræ, multo magis conuenit hum. nature naturæ.

2. Præterea, Secundum Philosophum 3. Metaph. no-
men naturæ à nascendo sumptum est. Sed determinationes res s. 10. 3.
sunt secundum similitudinis conuenientiam, ergo videtur,
quod natiuitas magis pertineat ad naturam, quam ad per-
sonam.

3. Præterea, Illud propriè nascitur: quod per natiuita-
tem incipit esse. Sed per natiuitatem Christi non incipit esse
persona Christi sed eius humana natura. Ergo videtur, quod
natiuitas propriè pertineat ad naturam, non ad personam.

Sed contra est, quod Damas. dicit in 5. li. Natiuitas hypo-
stasis est non naturæ.

Respondet dicendum, quod natiuitas potest attribui ali-
cui dupliciter, vno modo sicut subiecto: alio modo sicut termi-
no. Sicut subiecto quidem attribuitur ei, quod nascitur, hoc
autem propriè est hypostasis non naturæ. Cum enim nasci sit
quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quod sit,
ita nascitur aliquid ad hoc quod sit. Esse autem propriè est rei
subsistentis: nam forma, quæ non subsistit, dicitur esse solum,
quia ea aliquid est, persona autem, vel hypostasis significatur
per modum subsistentis: natura autem significatur per mo-
dum forme, in qua aliquid subsistit. Et ideo natiuitas tan-
quam subiecto nascenti, propriè attribuitur persona, vel hy-
postasi, non naturæ. Sed sicut termino attribuitur natiui-
tas naturæ: terminus enim generationis, & cuiuslibet
natiuitatis est forma: natura autem per modum forme signi-
ficatur. Vnde natiuitas dicitur esse via in naturam, vt patet
per Philosophum 2. Phys. terminatur enim natura in initio
ad formam, seu naturam speciei.

Ad primum ergo dicendum, quod propter identitatem,
quæ in diuinis est inter naturam, & hypostasim, quandoque
natura ponitur pro persona, vel hypostasi. Et secundum hoc
dicit Aug. naturam diuinam esse conceptam, & natam: quia
scilicet persona Filius est concepta, & nata, secundum huma-
nam naturam.

Ad secundum dicendum, quod nullus motus, seu mutatio
denominatur à subiecto, quod mouetur, sed à termino motus,
à quo speciem habet. Et propter hoc natiuitas non denomi-
natur à persona, quæ nascitur, sed à natura, ad quam natiui-
tas terminatur.

Ad tertium dicendum, quod natura propriè loquendo,
non incipit esse, sed magis persona incipit esse in aliqua natu-
ra: quia (sicut dictum est) natura significatur, vt quo ali-
quid est: persona autem significatur, vt quæ habet esse subsi-
stens.

COMMENTARIVS

Quæstio hæc Philosophica potius est, quam Theo-
logica, tum non solum ad Christi: sed etiam ad
omnium hominum, imò ad rerum omnium gene-
rationem pertineat, merito tamen à D. Tho. præmis-
sa est, quoniam verus, ac proprius modus loquendi
de Christi natiuitate ex illa plurimum pendet. Re-
spondet ergo D. Tho. dupliciter natiuitatem alicui
tribui, vt subiecto scilicet, vel termino, Priori modo
dicit natiuitatem pertinere ad hypostasim, quia illa
est, quæ & generatur, & nascitur, posteriori autē mo-
do (inquit) natiuitatem tribui naturæ quia est veluti
forma integra suppositi.

Sed